DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

HISTORIAM MORBI DE MELANOSI CORDIS, HEPATIS TOTIUSQUE TELAE CELLULOSAE,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVII. MENS. FEBRUARII A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS GUILELMUS NATORP

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

E. JUNG, MED. ET CHIR. DR.
G. KAHLE, MED. ET CHIR. DR.
J. LILPOP, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

CELEBERRIMO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO

J. L. TRUESTEDT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI IN UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA, DIRECTORI INSTITUTI POLICLINICI, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, SUPREMI COLLEGII AD REGENDAS RES SACRAS ET MEDICAS ET INSTITUTIONEM PUBLICAM SODALI, ORDINIS AQUILAE RUBRAE ET CRUCIS FERREAE EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI SUMMA PIETATE COLENDO

NEC NON

VIRO

CELEBERRIMO, EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO

H. F. BAREZ,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, AQUILAE RUBRAE INSIGNIBUS ORNATO, MEDICO PRACTICO, DIRECTORI MEDIC. IN NOSOCOMIO CARITATIS INFANTIUM AEGROTORUM SECTIONIS, DIRECTORI CLINICARUM EXERCITATIONUM ET POLICLINIC. INFANT. AEGROTORUM IBIDEM ETC. ETC.

PRAECEPTORI OPTIMO, DILECTISSIMO

NEQUE MINUS

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Melanosis insequens casus, cujus observandi mihi facultatem dedit institutum policlinicum medico-chirurgicum, quod Directore gaudet Viro Celeberrimo Truestedt, me instigavit, ut morbi illius naturam perspicerem. Quaesivi in libris de illo conscriptis, sed nullus fere certior factus abii. Casus rariores, symptomata dubia, opiniones in immensum variantes, id unum certum, omnibus nil certi inesse. De novo igitur campus est arandus, ut tenebrae nova luce dissipentur. Quum autem, quae sunt vires mihi juveniles, audacior equidem viderer, si facem hic incendere in animum mihi veniret, in aliud tempus consilium meum de-

ferre constitui; id tantum mihi relictum, ut casum illum, qui non est e minimis, longius explicarem, ut explicatus viam mihi muniret ad largiorem aliquam disquisitionem.

Viro autem, Celeberrimo, Humanissimo, qui benigne concesserit, ut morbi illius historiam publici juris facerem, gratias ago maximas. Quam tu, nunc, Lector, benevolo animo accipias.

HISTORIA MORBI.

Maria Neumann, innupta, triginta quatuor annos Berolini nata, jam primis vitae annis, variolis, quarum una tantum cicatricula adhuc conspicitur, et haud multo post, scarlatina et morbillis aliisque infantum morbis solitis, est affecta. A quinto inde aetatis anno diathesis scrophulosa, capitis tinea et glandularum tumoribus saepe repetitis creberoque adeo incisis, se ostendit. Prima illi menstrua anno aetatis decimo quinto sine moliminibus provenerunt, quae quamquam huc usque copiosiora saepe, ac nonnunquam per totos octo dies fluxerunt, justo semper tempore adfuerunt. Anno aetatis decimo septimo pulmonis et sequenti anno hepatis inflammationem perpessa est. Anno aetatis undevicesimo gravida facta, partu difficillimo puellam, adhuc viventem peperit, quo devicto per quatuor hebdomades dolores

in abdomine inter eundum potissimum vehementiores habuit. Ipsa infanti mammam praebuit. Et graviditatem et partum aegrota nostra parentes celaverat, sed nunc diutius tacere non potuit, quamobrem pater maxime iratus, ventre illius pede offenso, filiam repudiavit; quo factum est, ut per quadrantem annum vehementissimos in abdomine dolores, diminutos quidem postea, sed nunquam plane evanescentes sentiret. Annos viginti duos nata, inflammatione abdominis laboravit, cujus vero, quae pars affecta fuerit, ignotum est. Quare factum est, ut dolores in latere dextro maxime aucti, modo leniores, modo graviores semper adessent, qui leniri crebris nòn nisi venaesectionibus potuerunt. Quorum sedes, ardentium illorum et pungentinm, acsi cultro aliquem percuteres, dextrum erat hypochondrium. Abhinc fere ante annos quinque, erysipelate faciei bulloso affecta, quod hirudinibus et aquae frigidae fomentis sanatum; quibus remediis ophthalmia orta est, qua, post bis lapide infernali oculum dextrum ustum, arteria rupta, atrophicum factum, perdidit. Aegra nostra, quamquam dolore permanente,

ceterum bene se habuit. Abhinc fere ante tres annos, menstrua frequentiora, primo tertia, deinde secunda et postremo quin etiam quaque hebdomade, neque minus copiosa fluere inceperunt, quibus aegrotae vires plane fere sunt exhaustae, dolor illis rapidissimus se adjunxit in coxa simulque in tota extremitate inferiore. Qui status rerum fuit, quum aegra nostra mense Januario anni MDCCCXXXIV, medicum illum consultaret, cui soror, mensi Februario ejusdem anni uteri carcinomate laborans, est mortua, qui medicus, pulverem quendam subviridem mixturamque aliquam et propter copiosa menstrua sicerae e secali lotiones et potum fontis salutaris, quem vocant, Emser Kraenchen, praescripsit. Quibus medicaminibus semel adhibitis menstruatio plane evanuit et modo semel post venaesectionem per unum diem apparuit, dolores autem in latere saepius tam vehementes erant, ut aegra inter eundum propter pedes nimis debilitatos humum prolapsa esset. Ob dolores vehementes fontis salutaris usus cum mixtura ammonii muriatici et tinctura opii commutandus erat. Junio mense misera ventrem in dies cresce-

re ipsamque magis magisque macrescere simulque dolores acriores fieri illo tempore, quo menstrua fluere debuissent aut coelum turbidum ac pluviosum esset, animadvertit. Ad caput quoque congestiones et dyspnoea se cum ceteris malis conjunxerunt. Prorsum flexam dyspnoea sicut abdominis et genu dolores minus vexarunt. Per menses sex ventris ambitus ad dimidiam ulnam crevit, dolores, quos jam prioribus annis in cruce menstruationis tempore animadverterat, non solum frequentiores et graviores facti sunt, sed humerum etiam praesertim dextrum petebant. Tumor abdominis ex dextri hypochondrii altiore parte ad inferiorem crevit, immo primus qui fuerit in dextro tantum latere, posthac ad sinistrum quoque hypochondrium pervenit. Jacendi facultas in utroque latere simulque in dorso aegrotae nonnisi per breve tempus erat. Alius quidam medicus, malum hepaticum arbitratus, hirudines et pilulas ignotas quasdam et vesicatorium praescripsit, quae medicamina quum nihil valerent, per totos duos menses aegra omne auxilium respuit.

Die trigesimo primo mensis Maji anni prae-

terlapsi institutum policlinicum medico - chirurgicum, quod laete floret Directore Ill. Truestedt, regi a consiliis medicis intimis, misera auxilium implorans adiit.

Status morbi die xxxi mensis Maji.

Aegrota, cui statura est media, corpus debile, facies hectico quodam rubore afflata, valetudinem valde afflictam prodit, facies tamen ceterum corpus spectantibus nondum nimis macra videtur. Color faciei paulum in flavum vergit, oculus dexter atrophicus est; supra quem si locum digito tetigeris aegra dolore afficitur, se extendente super frontis dextram partem et dextrum os bregmatis. Ob jacendi difficultatem somnus perpaucum tantum tempus idque non nisi sedenti, permissus est. Sensus communis non nisi doloribus vehementissimis turbatus est, et animi agilitas aeque ac organa sensuum minime sunt impedita. Lingua normali colore rubra, exceptis posteriore et lateralibus partibus, muco tenui et subflavo obtecta; sapor interdum amarus, appetitus optimus. Collum et thorax quod attinet structuram, respiratio cordisque impulsus normales sunt, interdum situs corporis spiritus difficul-

tatem efficit. In humeris praesertim autem in dextro, semper rapidus dolor adest, qui haud raro usque ad brachium se extendit. Infra humerum dextrum prope ad columnam vertebrarum in vertebrae decimae regione, tumor rotundus, durus, immobilis, exostosi simillimus, est, cujus radius fere unum digitum habet; aegra ortum illum putat emplastro terebinthinato, ad dolores removendos dorso et scorbiculo applicato.

Thoracis percussio et auscultatio nullum signum morbosum offert.

Abdomen, quod prae ceteris sedes morbi esse videtur, haec signa praebet.

I. Ope visus.

Ambitus abdominis tumidi, feminae in octavum mensem gravidae, haud dissimilis est. Cujus in tegumentis cicatrices partus videntur et tumores subcoerulei et firmi et mobiles magnitudine fabae ad parvum usque columbae ovum. Abdominis tumor major in dextro quam in sinistro latere a diaphragmate usque ad pelvim magnam se extendit.

Ope tactus.

In exploratione aegrotae, quum, extremitatibus inferioribus ad ventrem attractis, abdominis tegumenta relaxata essent, sentire potes, tumorem inaequalibus marginibus terminatum, qui se extendit ab inferioribus inde costis, duos digitos infra umbilicum, atque explet partem dextram usque ad columnam vertebrarum; tumor non planus, hoc loco durissimus, illo mollis et fere fluctuans est. Pulsus est celer, et debilis.

Exploratio interna, situ erecto instituta, haec signa offert:

1) exploratio per vaginam.

Uteri portio vaginalis profundior stat quam in normali statu, orificium uteri externum fere digitaliforme patet, sed per orificium internum in uteri cavum pervenire non potes. Portio vaginalis est duritie normalis. In vaginae fornice ejusque pariete interiore, tumores parvi adsunt.

2) exploratio per anum.

Tumoris nihil et nulla alia abnormitas, digito indici in intestinum rectum introducto, obstat.

Signa morbosa, quae aegra conqueritur haec sunt:

In dextro hypochondrio dolores ardentes et pungentes, in posteriore parte ad columnam vertebrarum et in anteriore ad regionem epigastricam et umbilicalem tendentes, tactu aucti; non semper aeque vehementes sunt, simulac vero aegra se inclinavit, corpus aliquod firmum et ponderosum in abdomine volvi putat, quod idem sentit quum ab uno ad alterum latus se verteret. In cruce etiam, illo potissimum tempore quo fluere debebant menstrua, vehementissimum cum anxietatis sensu conjunctum et in extremitate superiore dextro', rapidum fere semper dolorem observat. Totum corpus, quod antea robustissimum fuisse dicit, valde emarcuit. Cutis mollis, perpetuo sudore humida, digestio hucusque optima vomitu bilis duo dies interrupta est; sedes sunt molles colore fusco, urina crassa colore subfusco cum sedimento croceo.

MORBI DIAGNOSIS.

Symptomata ad morbum cognoscendum, haec prae ceteris graviora sunt: sapor ama-

rus, dolor rapidus in brachio dextro, tumor ingens abdominis, forma tumoris, doloris in hypochondrio dextro et genus et expansio et vomitus biliosus. Quae symptomata ad unum omnia hepar nobis sedem morbi satis perspicue demonstrant, et dextrum quidem lobum magis quam sinistrum, sed cujus generis hic tumor sit, id restat in dubio. Hepatis ambitus major est quam in hypertrophia simplice, tumor hic durus est ut in scirrho, illic mollis ut in fungo medullari. Cujus hepatis morbi origo et incrementum hoc fuisse videtur:

Anno aetatis decimo octavo aegra nostra hepatis inflammatione acuta laboravit, quae, ut perpetui in hypochondrio dextro dolores indicare mihi videntur, posthac chronica est facta, quod, haud scio an pedis ille ictus acceleraverit. Idem status non mutatus est usque dum menstruatio evanuit. Id autem latet, utrum per menstrua intermissa morbus auctus sit, an contra per morbum auctum menstrua cessarint. Difficillimum aeque cognitu ob signa nimis mixta, qualis sit tumoris illius natura, nam mollities hic illic fungum medullarem demonstrat; tumores illi minores in cute, sub-

coerulei, melanosin indigitant; durities contra, dolor ille ardens, et pungens in tumore, aeque ac, si velis, in brachio dextro, et soror scirrho defuncta, morbum illum scirrhum me opinari coget. Num etiam alia organa ut mesenterium, cujus in regione tumores varia magnitudine tactu animadvertuntur, simul cum hepate affecta sint, nec negari nec concedi potest.

Itaque hoc diagnosi nostra constat, primum, hypertrophia hepar laborare, quae vero qualis sit ignotum, alterum, glandulas in cute per melanosin mutatas esse.

MORBI PROGNOSIS.

Quamquam, quod scirrhum attinet diagnosis nostra incerta et valde dubia est, prognosin omni modo malam, et scirrho praesenti pessimam esse constat. Mala est ob prostratas vires, tabem et sudores perpetuos, signa, quae exitum funestum febri hectica praesagiunt.

CURA.

Quod ad curam id respiciendum mihi vi-

detur, scirrhum hepatis negari plane non posse; talia igitur remedia adhibenda sunt, quae scirrhum, si quid est, impediant, quominus in pejus crescat, remedia, quae, si tumor alia quaedam pseudoproductio sit, illam etiam impugnent. Curam radicalem etiamsi res optima staret, morbusque hypertrophia simplex esset appetere non possumus, quod talis tumor ullomodo removeri nequit. Retentio morbi, sola est cura. Curae igitur indicatio id spectare debet, ut vitam aegrotae quam diutissime servet et dolores leniat. Videndum nobis igitur ut vires firmemus, febrim lentam arceamus, ut in hepatis ad scirrhum dispositionem et totum vasorum lymphaticorum systema morbosum, aliquid valeamus. Quod his remediis adhibendis, nos assequi posse puto: Calomel., Gummat. ferulac., praesertim asa foetida soluta in extractis amaris Gentianae, Trifolii fibrini, Taraxaci, Fel. tauri inspissati aut in forma pilularum; porro Narcoticis, Opio, Aconito, Cicuta virosa, Conio maculato, Aqua Laurocerasi, Digitali, Belladonna. Jodina quoque aut Tinct. arsenicali Fowleri et decocto specierum lignorum etc. Quorum ut augea-

mus medicaminum internorum vim et efficaciam, addamus remedia externa ad dolores mitigandos, ut infrictiones Unguenti hydrargyri cinerei cum opio aut linimento ammoniato-camphorato, Ung. jodinae etc.

Ex his remediis hae tres formulae sunt compositae:

℞ Calomel. gr. ij
Pulv. rad. Belladonnae gr. ß
Sacch. albi ℈ß
M. f. pulv. dispens. tal. dos. No. X
S. Mane et vespere unum pulverem.

℞ Extr. Gentianae
Pulv. rad. rhei
Fel. tauri $\overline{aa}$ ʒj
M. l. a. fiant pil. gr. ij. Conspergantur calamo aromatico.

℞ Linim. volat.
Ol. hyoscyam. cocti $\overline{aa}$ ℥j
M. fiat linimentum
S. Ad infricandum.

MORBI DECURSUS.

Die II. m. Junii. Matutino tempore aegrota quidem vomuerat, sed non ut antea bilem, ceterum status est prior, et medicamina quum bene toleraret, reiterantur.

Die VI. m. Junii. Per plures dies nullus vomitus, Calomelanos usu salivatio orta, quare e pulvere Calomel dimittitur.

Die VIII. m. Junii. Dolores acerrimi, insomnia jam octo dies, urina clara colore rubra, febris vivax. Ob dolores insomniamque, medicamina illa his cedunt.

℞ Opii puri gr. ß
Sacch. albi ℈ß
M. f. pulv. disp. tal. dos. No. VI
S. Vespere pulv. unum.

℞ Opii puri ℈ß
Linim. volat. ℥ß
M. f. liniment.
S. ad infricandum.

Die X. m. Junii. Dolores mitiores urina crassa cum sedimento lateritio. Misera paulum dormivit.

Die XI. m. Junii. Aegrotam extra lectum invenio, bene dormiverat, dolores leniti, tumor descenderat fere duos digitos, glandulae inguinales intumescunt, urina qualis heri, appetitus adest. Ob obstructionem alvi oleum ricini praescripsi.

Die XIII. m. Junii. Misera valde caduca, facies pallida et marcida, appetitus et sedes adsunt, infrictionibus dolores mitigati. Cura abhinc semper eadem.

Die XVII. m. Junii. Ob graviores in dextro hypochondrio dolores applicantur duodecim hirudines in illa regione, quibus dolores valde sunt diminuti.

Die XXI. m. Junii. Status fere semper idem, sed vomitus biliosus nonnullos dies iterum adfuit.

Die XXIV. m. Junii. Tumoris in dorso magnitudo duplicata erat, fere omnes totius corporis in cute glandulae intumuerant, dolores acerrimi appetitus semper est optimus, etsi vomitus biliosus interdum mane adest. In cura nihil mutatum nisi quod dosis opii aucta est. Ab hoc die usque ad diem II. m. Julii diarrhoea et sudor colliquativus ac perpetui

iique non ferendi dolores vires consumpserant. Appetitus plane abest, lingua muco tenui et albido est obtecta, dyspnoea aegram valde cruciat. Quod attinet ad curam nunc quotidie quatuor opii pulveres dabantur, et sinapismus pectori impositus est.

Die VIII. m. Julii. Ex aegrotae ipsius opinione status multo ad melius mutatus, appetitus optimus, ipsa serenissima citam reconvalescentiam sperat.

Die XIV. m. Julii. Status hodiernus ab illo diei octavi h. m. valde abhorret, glandularum tumores, quorum unus in regione inguinali magni columbae ovi magnitudinem assecutus est, vehementer hic illic dolent. Attamen appetitus et digestio optima. Cum crescente abdominis tumore dyspnoea quoque valde augetur. Vomitus modo bile modo muco acidulo est mixtus. Sedes sunt regulares. Somnus non nisi sedenti, jacendi non facultas, pulsus est frequentissimus sed valde debilis.

Die XXI. m. Julii. Per totum hoc tempus status idem fuit, sed hoc ipso die in dorsi quoque tumore dolores vehementissimi, quare cataplasmata in tumorem imponenda sunt, et

ob congestiones ad genitalia, conabamur menses restituere viginti hirudinibus ad femora applicatis.

Die XXII. m. Julii. Quod ad menstrua nihil profecerant hirudines.

Die XXIII. m. Julii. Aegrota conqueritur pungentes pectoris dolores ad ultimas costas veras. In hypochondrio dextro novus inflammatus tumor ortus est, qui valde dolet; quare iterum hirudines pectori applicandae sunt et cataplasmata in novum tumorem imponuntur.

Die XXIV. m. Julii. Dolores minoris momenti sunt; conqueritur modo debilitatem.

Die XXVIII. m. Julii. Aegrota est sine ullo dolore, febris fere nulla est, sudores modo raro animadvertuntur, et talem se robustam putat, ut curru evehi cupiat.

Die XXIX. m. Julii. Evectio aegrotae optime evenit, non dubitat, quin sanatio proxima sit.

Die VIII. m. Augusti. Qui status optimus hucusque duraverat, sed subito omnia priora mala redeunt, animi serenitas evanescit, misera de morte proxima loqui amat, febris lenta cum satellitibus diarrhoea et sudoribus colliquativis floret et debilitas crescit in horam. Pulveres

opii et infrictiones prioris linimenti, per aliquot tempus intermissa, unica illa remedia, denuo adhibentur.

Die IX. m. Augusti. Cum debilitate crescente, paralysis extremitatum inferiorum et paulo post paralysis vesicae urinariae et anus sicut decubitus gangraenosus et oedema pedum se conjungit.

Quo miserabili statu, misera decimo abinde die tandem devicta, tristissima morte obiit, nocte illa quae est inter XIX. et XX. m. Augusti.

SECTIO CADAVERIS.

Sectio cadaveris die XXI. m. Augusti meridie, trigesima hora post mortem facta, hoc nobis praebuit. Cutis, cui subflavidus color, fuit tenacissimus, ita ut cultro maxime resisteret, labia pudenda majora, decubito gangraenoso, nigra. Tumores illi, supra totum fere corpus, quos inter morbum per cutem coeruleo colore pellucentes cognoscere licebat, in tela cellulosa subcutanea positi, reperti sunt. Magnitudine erant fabae, avellanae nucis, quin etiam columbae ovi. Forma tumoribus erat rotunda seu ovata, cohaerentia solida, omnes

autem cystis circumdati, quae quidem cum tela cellulosa subcutanea conjunctae erant, facile tamen ab ea separari potuerant; propria qua referti erant substantia, colorem subcoeruleum habuit. Quod ad numerum plurimi illi ubique dispersi erant. Adeps in tota cellulosa subcutanea fere nullus; musculi tenues, sine ulla fibrarum structura degenerata, colore normali. In nonae costae regione haud procul a vertebrarum columna, cujus in dextro latere ille tumor, maxime dolens, pugni magnitudinem habuit et ex materia quadam glauca in fuscum vergente; durissima constabat. Intra abdominis cavum in eodem loco ejusmodi fere tumor adfuit. Ab utroque latere incisione profunda in tumorem facta, costam in ambitu pollicis unius carie plane destructam invenimus, ex qua vehementissimus ille dolor nunc facillime intelligi potest.

Capitis cavum aperire, non permissum est, quod maxime dolendum.

Cavum thoracis.

Substantia et color utriusque pulmonis fuit plane normalis nisi in infima lobi ante-

rioris dextri parte, quae erat mitifacta et cruore valde impleta. Materiae melanoticae nusquam ne vestigia quidem animadverti poterant. In thoracis cavo aquae subfuscae quantitas parva. Pericardium structura et expansione nihil insoliti ostendit. Quum inscideretur, subfuscae aquae nonnullum quoque effluxit. Cor ipsum magnitudine at consistentia normale fuit, sed non colore; qui ex glauco in subfuscum vergit. Sub auricula cordis dextra et sinistra tumor quidam pisiformis fere niger, melanoticus, et nonnulla nigra puncta adfuerunt, et maximus magnitudine nucis avellanae in tela cellulosa inter venam cavam ascendentem et aortam. Tum atria aperiebantur. In dextro et quidem in venae cavae fibris plures tumores nigri minores videbantur, sinistri autem conditio fuit regularis. In ventriculis cordis apertis inter musculos papillares et trabeculas carneas melanotici tumores minimi quidem visi sunt. In substantia cordis haud raro tumores quoque melanotici colore fusco, immo ad nigrum vergentes, videri poterant.

Cavum abdominis.

Cavo abdominis aperto, peritonaeum hic

illic melanosis tuberculosae tumores, qui autem fabae magnitudinem non excedebant, natura sua iis, qui sub cute reperti erant, valde convenerunt; peritonaei vero textura ubique sana atque immutata. Tractus intestinorum nullus visus est, nam hepar ingens fere totum spatium a diaphragmate usque ad ossa pubis amplexum est, et illud spatium quod vacuum restabat, mesenterio, quod magnum tumorum numerum continuit, erat expletum. Varia erat magnitudo a fabae usque ad juglandis nucis, varia forma tum rotunda, tum ovata, varius color, nonnulli albi erant, in aliis color canus seu rubellus, seu helvolus albo admixtus, in aliis color fere ater erat, plerumque autem non nisi in superficie, centrum tumoris clarius. Totum hepar, pondo libras quindecim, unicus fere tumor, ex plerisque minoribus constabat, tela cellulosa inter se invicem separatis, omnes e duabus substantiis compositi erant, quorum altera adiposa et durissima stratum externum, altera subflavum aut fuscum aut coeruleum aut fere nigrum nucleum quasi centralem formabat. Quorum unus et is quidem major tumor mollissimus materiam quandam, cruori

coagulato aut melius fungo haematodi soluto, simillimam continuit. Mirum est, quod nusquam, ne vestigium quidem vesicae felleae et ductus cystici et hepatici, sicut renis dextri ejusque ureteris reperiri potuit. Lien, ventriculus et totus tractus intestinalis ab hepate et mesenterio absconditi, plane erant normales. Ren sinister ipse sanus, circumdatus erat tela cellulosa, tumoribus melanoticis eadem magnitudine eodemque colore quo illi in mesenteterio, accumulata. Vesica urinaria inversionis causa vacua erat, et uterus paulo durior et major quam in normali statu polypo quodam carneoso, parvo vero tantum, expletus se praebuit.

EPICRISIS.

Meckel in secunda tomi secundi sectione Anatomiae pathologicae pag. 293—296, de pseudoproductionibus a norma abhorrentibus, dicit, quod in excerpti formam redactam, commemorem, mihi licitum sit, quum pro nostra historia haud minoris momenti sit: „Illorum sciptorum, qui ultimo tempore accuratius pseudoproductiones exploraverint, Abernethy has

quinque proprii generis, pancreaticam, thymicam, medullarem, tuberculosam et scirrhosam significat; Laennec septem se reperisse dicit, quarum autem tuberculosam tantum, scirrhosam, medullarem et melanoticam describit. Proprium quendam contextum (haud dubie Laennecii melanosin) qui Abernethyi sarcomati medullari et tuberculoso plane respondet, nuper I. Burns, Spongoid inflammation, Hey et Wardrop fungum haematodem denominarunt, quae omnia antea scirrhi et hic quidem scirrhi mollis nomine veteres practici amplexi sunt. Sine ullo dubio Monroi tumor lacti piscino similis, aeque ac plurimi telae mucosae polypi ab illis separari non possunt.

Quarum pseudoproductionum classificatio certa, difficillima est, quod, quum ob corporis et organi individualitatem, et causas fortuitas, et morbi periodos, quibus exploratae sunt, per multum variantur, tum plurima signa illis communia sunt et transitus ita invisibilis est, ut, quod Abernethy optime dixit, colores aequent, quorum praecipui non nisi discerni possint, illi autem, qui in similes transeunt, accuratissima quidem observatione inter se et in-

ter ceteros diversi videantur, sed nec perspicue describi nec nominari possint.

Quare, quum omnium illarum pseudoproductionum structura, quod ad formam, contextum, compositionem et decursum, eadem sit, et omnes organum et organismum, in quo reperti, destruant, aptissimum videtur, omnes non varietates nisi unius cujusdam contextus habere.»

Quae omnia a Meckelio descripta, quin etiam id, ut polypos iisdem pseudoproductionibus adnumeret, mihi quidem antea inopinatum, — haec dico omnia, hoc nostro casu verisimiliora fiunt. Nam illē quoque, qui aegrota vivente, fere omnium unica sententia scirrhus hepatis declaratus est, sectione facta, acsi signa nimis mixta, melanosis nomine tamen insigniendus erat, idque praesertim quum fere in omnibus aliis corporis partibus, ille morbus satis perspicuus esset.

Quod ad rationem physiologicam id maxime mirum, nec ullo modo intelligendum mihi videtur, quomodo vesica fellea et ductu cystico et hepatico deficiente, bilis in duode-

num pervenire potuerit, id quod evenisse vomitus ille biliosus et sedes colore normali satis demonstrant; etiam illud nullus interpretari ausit, quî factum, ut hepate talimodo destructo, icterus non ortus sit.

V I T A.

Carolus Guilelmus Natorp, confessioni evangelicae addictus, natus sum Berolini, XXI. die Maji mensis anno hujus saeculi duodecimo, parentibus dilectissimis, patre optimo *Carolo Georgo*, matre *Wilhelmina*, e gente *Maurer*, dilectissima, Dei beneficio adhuc vigentibus gaudeo. Primis, quibus aetas puerilis imbui solet, literarum elementis in schola urbis instructus, primo Gymnasium Fridericum Guilelmum, dein Paedagogium quod vocant, „*das graue Kloster*," quodque Rectore Cel. *Koepke*, hac nostra urbe floret, frequentavi, ibique disciplinis, quae ad altiora studia viam muniunt, incubui. Maturitatis testimonio dimissus, tempore paschali anni MDCCCXXXII, studio medicinae operam daturus a Rectore Magnifico Ill. *Marheinecke* civibus academicis adscriptus et a Beat. *Rudolphi* Decano t. t. spectatissimo, in album facultatis medicae inscriptus sum.

Berolini per annum unum his praelectionibus interfui.

I. Philosophicis.

Ill. *Link* de botanice tam theoretica, quam practica et historia naturali; Ill. *Mitscherlich* de chemia experimentali et zoochemia; Ill. *Lichtenstein* de zoologia; Ill. *Weiss* de mineralogia; Cel. *Dove* de physice experimentali; Cel. *H. Ritter* de logice.

II. Medicis.

Beat. *Rudolphi* de encyclopaedia et methodologia medicinae; Ill. *Schlemm* de osteologia, de anatomia et theoretica et practica, de splanchnologia, de syndesmologia et de organorum sensuum anatomia.

Vere ineunte anni MDCCCXXXIII. Bonnam profectus sum ibique in literarum universitate per unum annum literis incubui.

Ab Ill. *Walter* t. t. Rectore Magnifico inter cives academicos receptus, hasce scholas frequentavi:

I. Philosophicas.

Ill. *van Calker* de psychologia; Ill. *Nees ab Esenbeck* de botanice pharmaceutica, Ill. *Nasse* de anthropologia.

II. Medicas.

Ill. *Weber* de physiologia, de anotomia comparata, qui simul dux mihi fuit in arte cadavera rite dissecandi; Ill. *Bischoff* de materia medica; Ill. *Harless* de therapia generali, Cel. *Bischoff* de pathologia generali.

Vere anni MDCCCXXXIV iterum Berolinum me contuli ibique his praelectionibus quadriennium finivi: Ill. *Horn* de pathologia speciali, de cognoscendis et curandis morbis syphiliticis, de pathologia et therapia morborum animi; Ill. *Mueller* h. t. ord. med. Decani spectatissimi de anatomia pathologica; Ill. *Hecker* de therapia speciali.; Cel. *Casper* de arte formulas medicas rite conscribendi; Cel. *Romberg* de pulmonum et cordis morborum diagnosi.

Exercitationes clinicae, quibus hucusque interfui, hae sunt:

Clinicum medicum Ill. *Bartels*, Cel. *Wolff* et Cel. *Barez*, clinicum chirurgicum Ill. *de Graefe*, Ill. *Rust* et Cel. *Dieffenbach*; clinicum ophthalmiatricum Ill. *Juengken*; policlinicum medico-chirurgicum Cel. *Truestedt*; clinicum obstetricium Ill. *Busch*.

Praeterea Cel. *Ascherson* exercitationes, fascias bene applicandi, frequentavi. Quibus Viris illustrissimis et celeberrimis summe venerandis, maximas habeo gratias sempiternasque habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, in eo sum, ut dissertatione, thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Lienis exstirpatio digestionem non mutat.
2. Fissurae cranii sola suspicio trepanationem vetat.
3. Non opio somnus criticus in delirio tremente oritur.
4. Febris hectica amputationem non vetat.
5. Non semper herniae incarceratae operatio instituenda est.